DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS.

AUCTORE CAROLO DUCAT.

PRAEFANDA.

Illae actiones corporis humani interiores, quae apud medicos *functiones* vitales appellantur, quarum nimirum ope spiritum trahimus et emittimus et sanguis per singulas partes continenter movetur, plurimis valetudinis adversae generibus concitari, sedari, aut abnormes fieri, solent. Haec vero jure optimo studium et curam medentium quaesitissima sibi adsciscunt; siquidem



actiones jam propositae eo *vitales* nuncupantur, quod citra lethum ipsum, vel paulisper, quiescere nequeunt; nec citra metum gravissimum et instantem gravantur, languent, impediuntur. Uti morbi omnes pulmonis cordisque, ita potissimum inflammatio, hoc insigne periculum implicitis minitantur: ibi festinandum enim, et mature agendum, ne intra per paucos dies, vel etiam horas, vitae flamma extinguatur. Qua re perspecta, constat, plurimi interesse, ut medicus de auxiliis et remediis utendis non dubius consilii haereat. Coactus igitur aliquid ad artem Machaoniam pertinens conscribere, reique ipsius utilitate adductus, *Pneumoniam*, caeteris posthabitis, argumento prosequendo, selegi: quam luce me nova aut clariori collustrare posse haud professus, non nisi praecipua et memoria dignissima, quae auctores clarissimi de ea tradiderint, literis tradere statui: missis equidem quibusdam huc spectantibus, qualia opusculum hujuscemodi mancum et breve non recte amplectitur.

DE DEFINITIONE, &c.

PNEUMONIAM ad *classem* " Pyrexiae" et *ordinem* " Phlegmasiae" relatam, CULLENUS ita definivit: " Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis." Idem auctor duas species adjecit; scilicet, *pleuritidem*, vel inflammationem *pleurae* costis proximae; et *peripneumoniam*, vel inflammationem membranae pulmonis ipsius propriae, necnon ejus visceris membranae cavernosae; quas insuper notis insignibus definivit. Quum igitur patet morbum, de quo scripturus sum, membranis *serosis* pectoris et pulmonis inflammatis contineri; haeque inter se conterminae sunt, intimoque nexu invicem consociantur; ita ut una malorum, quae alteram torquent, vix, aut ne vix quidem, non particeps fiat; specias istas Cullenianas amplecti et exponere inutile nobis videtur. Cum porro usu docemur, cuique fere

pneumonia vexato, utramque membranarum inflammari, (sic tamen ut huic exterioris, illi interioris et telae cavernosae laborantium, notae potius et magis exardeant,) species binas Cullenianas, veluti unicum morbi genus, inter signa proferenda, inter se quasi nectere in animo est. Haecce praefatus, quibus indiciis inflammatio proposita denuncietur, illico ostendere nitar.

DE SIGNIS.

Inflammationem pulmonis et membranarum ejus instantem vel mox futuram notae omnes *pyrexiae* praenunciare solent: multoque saepius homo aliquas horas, vel diem integrum prius insigniter febrit, quam pectus dolere coeperit. Inter haec, arteriae validius et crebrius saliunt; vultus rubet, et interdum aeger delirat. Huc aliquanto post, accedit dolor alicubi pectoris, frequentius costae circiter sextae septimaeve in-

fixus; modo acutus, mucrone pungente oriundi instar, modo hebetior: alterutri laterum, at saepius laevo, contingit; nec raro ad os pectoris, spinam dorsi, aut scapulas pertinet: non manu premente acuitur; sed perquam ingravescit, aegroto spiritum gravi molimine trahente, aut in latus affectum cubante. Quidam, nisi supini, decumbere non possunt. Spirandi difficultas summa torquet: quibusdam profecto in tantum, ut omnino iis, nisi erigantur, anhelare non liceret; vultu simul admodum turgente et rubente. Cor arteriaeque concitantur; hae moventur citius et fortius, quam ex consuetudine; aliquando sane durius et simul exilius: id est, digito imposito, nervos graciles aeneos intentas referre videntur: alias, motu molliori et lento exagitantur. Tussis assidua urget: initio sputi expers: malis autem increscentibus, exspuitur pituita, varii coloris, interdum cruenta; cui fere adjiciuntur vultus tumidus, et labia purpurea. Noctu homo saepe vigilat, aut male dormit, anxius et inquies; subinde delirat. Humores secernendi et excernendi aut penitus

supprimi, aut certe solito parcius fluere solent: cutis summa exarescit, et ardet praeter naturam; sitisque arentibus lingua et faucibus cruciat. Nonnullis *pleura*, ubi septum transversum obducit, et partem exteriorem capsulae cordis conficit, graviter inflammatur; unde singultiunt, quaesitissima anxietate atque motu cordis et arteriarum abnormi, aliisque ejusmodi malis plectuntur.

Haec inflammatio paucos intra dies aut resolvitur, id est, salute finitur, aut ad alios eventus properat; quos sequitur, ut quam paucissimis explicem.

DE FINIBUS.

Inflammatio, de qua agimus, resolutione, suppuratione, gangraena, et effusione laticis tenuis, glutinosi aut cruenti, finitur; praeter eam actionem, qua *pleurae* saepe conglutinantur.

Resolutionem instare testantur dolor misso

jam sanguine remissior, nec spiritu accepto exacerbatus, febris et ardor inclinata, pulsusque arteriarum molliores et tardiores. Eandem arcessunt, vel arcessitam praedicant pituita multa ex facili exscreata, vel cruor ipse, modo spiritus non gravetur: quinetiam sanguinis aliquando cursus e naribus aut imi intestini venis; aut cutis sudore leni, tepido et ubique aequali madida, *miliaria*ve efflorescens, urina simul crassa et copiosa. Quae notae, viribus interea non solutis, nec praepedito pulmonis officio, nec pedibus tumentibus, nunquam non salutem augurantur.

Suppuratio.—Si signa non acerbissima vexant, pertinaciter tamen haerent, nec diebus octo, decem aut quatuordecim exactis, solvuntur, suppurationem venturam est verisimile. Si abscessus pulmoni insideat, hoc malum *vomica* nominatur: quam insigniunt febris, dolor et incitatio sedata, tussis et spirandi difficultas increscentia; artus invicem horrentes et ardentes, scilicet aliqua febris *hecticae* indicia; gravitas quaedam ad partem, quae antea doluerit, relata; et spiritus, homine in partem sanam decum-

bente, gravior. Abscessu dirupto, modo pure exscreato aeger revalescit; modo ejusdem copia major in fistulas animae fusa derepente strangulat: alias parte, quae suppuraverit, sensim exulcerata, nascitur terribilis illa *phthisis pulmonalis.* Interdum, denique, pus inter *pleuram* pulmoni circumjectam, et alteram costis adjunctam, profusum *empyema* conficit. Hoc igitur vel *vomicae,* sic ut jam exposui, vel recta *pleurae* exteriori inflammatae, et exinde puris secretrici factae, at rarius, supervenit. Iisdem signis, quibus *vomica,* denunciatur; quibus duo alia adjicio; pectore nempe exagitato, humor fluctuare sentitur; et anima, nisi corpore erecto, accipi et emitti vix potest.

Gangraena.—Ei instat gangraena, cui, remediis idoneis acriter ministratis, inflammatio nihilo lentior saevire pergit. Eadem jam accessit, et miser in praecipiti versatur, si dolor subito quiescit, nec sanguinis cursus, sudor, alvus biliosa, urina crassa aliave exinanitio felix istiusmodi simul accedit. Proximum est, ut motus arteriarum citus, imbecillus et inaequalis,

vultus pallidus, singultus, distentiones nervorum, sudor gelidus, aliaeque virium concidentium notae, fati ipsius praenuncii sint.

Effusio laticis.—Si latex tenuior a pleura secretrice effluat, gignitur *hydrothorax;* qui rarius aliquanto pulmonis inflammationem sequitur. Si cava exilia telae cavernosae pulmonis eodem exhalato scatent, fit *anasarca* hujus visceris. Frequentius vero spiramenta hoc humore obturantur, cruore simul et pituita eo mistis. Hunc pessimum eventum adesse judicamus, si miser anhelat aegerrime, crebrius quam antea integer virium fuerat solitus, languide, nec citra strepitum; si vix omnino ei, nisi erecto, spirare liceat; si vultus purpurascit; si artus perfrigent, et aqua intercute intumescunt; arteriaeque imparibus intervallis, exiliter, et motu celeriori saliunt.

DE SIGNORUM RATIONE.

Dolor inter animam trahendam auctior.—Inter inspirandum partes inflammatae, scilicet u-

traque membranarum et tela cavernosa intenduntur; unde dolor ingravescat, necesse est.

Dolor non manu premente auctus; et membrana exteriori inflammata acerbior.—Dolor eo non manu premente increscit, quod costae et musculi iis interjecti partes dolentes opprimi non sinunt. Siquidem nervi *intercostales* faciem exteriorem, id est, non secretricem, *pleurae* costis haerentis obducunt, haec membrana inflammata sensu quaesitiori praedita est, quam altera pulmoni proxima; ideoque acutius dolet.

Tussis sputi expers.—Membranis *serosis* inflamatis, *mucosae* vicinae minus aequo secernere solent: hinc morbo proposito impliciti principio nil expuunt. Membrana *mucosa* animae canalium praeter naturam sicca aequo irritabilior fit: ideoque aër circumfluus acceptus exasperat, et tussim movet.

Spiritus vomica aut empyemate tentatis, corpore erecto, et aegro in sanum latus jacente, expeditior.—Corpore erecto, septum transversum ea lege, qua omnia suo nutu deorsum feruntur, ex facili descendit; eoque potius, si pure *pleurae*

inhaerente ad imam partem decidente, eoque pulmonem non multum gravante, opprimitur. Quod si homo in latus sanum cubet, respiratio, pulmone integro inde presso, non parum impeditur.

Ratio aliorum signorum rei medicae gnaris satis patet; neque nisi praecipuis insistere in animo est.

DE DIAGNOSI.

Inflammatio jecinoris et musculi spiritui dicati *rheumatismo* vexati *pneumoniam* quodammodo simulant: quae quomodo ab his dignoscatur, quam brevissima ratione ostendere conabor.

Hepatitis. — Jecinore inflammato, *hypochondrium* dextrum; pulmone, alterutrum pectoris laterum, et laevum crebrius, dolore solent. Illic dolor presso jecinore exacerbatur, et ad humeri dextri summam partem ascendit; quin-

etiam, homine in latus sinistrum jacente, intenditur; hic contra, aegro in partem dolentem cubante, acuitur. Praeter haec, illic, tussis clarior sputo fere omnino caret; singultus et vomitus crebro urgent; actio cordis et arteriarum minus concitatur, et officia ventriculi et intestini magis perturbantur.

Rheumatismus partium pulmoni vicinarum.—Hodierni opinantur cordis fibras *rheumatismo* interdum torqueri, et septum transversum musculosque costis interjectos, et alios propinquos simul eo laborare. Hoc mali genus *pleurodyne* nuncupatur: cui dolor pectoris digito imposito increscit, et fibras motrices permeat; cuique contingunt tussis sputi egena, singultus crebrior, motus cordis et arteriarum abnormis; quaeque *rheumatismo* artuum venienti cedere, abeunte supervenire, fertur. Hisce in animo habitis, errare medico vix licebit.

DE CAUSIS.

CAUSAE morborum duplicis esse generis apud medicos feruntur; nimirum, eae sunt, quae opportuna vel propensa corpora reddunt; et eae, quae, opportunitate vel proclivitate existente, morbos ipsos excitant. Illae abditae, hae evidentes appellantur: praeter continentes, quae huc non pertinent.

De causis abditis.—Qui aetatem mediam jam attigerint, vel transgressi sint aliquantum, pueris, adolescentibus et senio contritis procliviores sunt, qui pulmonis inflammatione plectantur. Simul atque enim corpus longius fieri desierit, sanguis potissimum et perinsigni impetu ad latera fertur: pueris contra, necdum pubescentibus, sursum et deorsum praesertim impellitur. Quinetiam, sanguine pleni, vegeti, quibusque natura cutem pulchram, vultum roseum, caesariem candidam aut rufam, oculosque caeruleos

aut caesios dederit, prae caeteris in hoc malum incidunt.

De causis evidentibus.—Vere hyemeque saepius quam aestate et autumno, et in Britannia potius quam in terra Europae continente, homines hoc morbo conflictantur. Quo fit, ut Jovem frigidum, humidum et varium causae excitanti valentissimae et creberrimae esse statuamus, quippe quae, halitu cutis summae arteriis patentibus enato supprimendo, efficit ut moles humorum circumeuntium superet, hique intus ad pulmonem vertantur. Vocitare, tibia aut voce diutius aut frequentius canere, longam orationem habere, vehementer exerceri, nempe, currere, equitare et quae sunt his similia, quoque eodem spectat; maximeque, si corpus exinde sudet. Huc accedit pectus impetu alieno violatum. Quicquid porro corpus impleat et cieat, hoc malum gignere poterit: cujusmodi sunt satietas, potus meraciores, cutis ex *rubeola, variola, scarlatina* et similibus valetudinis adversae generibus deflorescens; quaevis exinanitio de-

repente repressa; veluti, cursus sanguinis e venis imi intestini, alvi dejectio, &c.

Denique, morbi aliqui interdum in pulmonis inflammationem abeunt, ejus, uti apparet, genitores; nimirum, *carditis*, aut *pericarditis*, *hepatitis*, *catarrhus* omnigenus, *pertussis*, *angina trachealis*, et id genus podagrae, quod *aberrans* vocatur.

DE PROGNOSI.

Quae spem aut metum futurum hoc malo tortis insigniant, non iisdem rebus, quae plurium aliorum malorum exitus praesagiant, et regant, innituntur. Minime perpetuum est, ut quo plus vigeant medicatrices vires, eo tutior sit aeger; quove magis robore juventaque floreat aliquis, eo certior sit salus recidiva. Corporibus enim istiusmodi inflammatio saevissima, quam celerrime saepe in fatum abitura, contingit. Quae vero notae finem venturum augurentur, satis

jam inter fines describendos, edocuimus. Illud attamen adjicere licet, quibus validis, plenis et junioribus perquam exardeat inflammatio, iis saepius *vomicam* aut *empyema*, nec raro *phthisin pulmonalem*, supervenire, nisi auxilia medicinae acria et tempestiva resolverint: quibus, contra, in senium jam vergentibus, imbecillis, aut luxu, vitaque parum temperate acta labefactatis inflammatio lentior evenerit, hos non raro aut diro hydrope pectoris succumbere; aut meatu spiritus pituita laticeque cruento (quae viribus deficientibus exscreari nequeunt) obturato, strangulari.

DE RATIONE MEDENDI.

Quo rite curemus, mature, sedulo et pene audaciter agere opus est: breve est enim temporis intervallum, intra quod haec inflammatio salute, morte, fineve alio lethum serius ocyus allaturo, mutetur: et nosse juvat, medicum fere

penes esse tempestiva et acri curatione hos exitus praecavere. Quamprimum itaque, vena brachii incisa, sanguinis uncias viginti, ampliusve, mittere oportet; qui per hiatum magnum effluere debebit, eo ut anima, venis cito vacuefactis, deficiat. Sanguis detractus et jam concretus superficiem corii similem et albidam prae se ferre consuevit: haec nequaquam ostendit, aut venaene jam rite depletae fuerint, aut id iterum fieri deceat necne; certam enim legem habere non videtur. Innitendum igitur pulsu, viribus, dolore, spiritu; quo clare intelligamus, quando quoties et quousque feriretur vena. Si elicito sanguine, arteriae durius, fortius et crebrius, quam fert natura, micare perstant, si homo hucusque febrit et incalescit, inter inspirandum si dolor adhuc exasperatur, si nihil porro expuitur, nec aqua intercute pedes intumescunt; iterum venam brachii secare opus erit, nec fere hiatum antea claudere, quam unciae viginti sanguinis profluxerint. Neque multa, alicui mediae aetatis, bonae indolis, vegeto, et sanguineo fere unciae quinquaginta sanguinis eli-

ciendae, ut haec inflammatio probe debelletur; scilicet, initio, circiter viginti, deinde sedecim, tertia vice quatuordecim. Nec simul ignoro, venas aliquando multo magis vacuefieri oportere; imo vero uncias centum, aut centum et quinquaginta tuto et utiliter fuisse subductas. Quum proposui notas, quae hoc remedio iterum utendum testentur, adjicere quoque haud alienum duco, imprimis, easdem sublatas satis jam sanguinis missum insignire: dein, si dolor, febris, et spiritus gravis hoc auxilium sequuntur, motu arteriarum inter haec languido, potius hirudines pectori imponendas; quinetiam, si, venis jam depletis, signa inflammationis evanuerint, perstet autem spirandi difficultas, aegerque difficulter pituitam expuat, et crebro extussire perperam nitatur, tumeantque pedes; manifestum esse medicum jam temeraria manu plus aequo sanguinis venis subduxisse.

Venis vel totius corporis, vel partis ipsius jam demum rite et tempestive vacuefactis, summam cutem circa os pectoris *emplastro meloës vesicatorii* exulcerare juvabit; quo remedii genere

humores extrorsum ferantur, ideoque vasa pulmonis expediantur. Quaecunque calefaciant, irritent, impleant, evitanda : conclave, ubi aeger cubat, mediam temperiem sibi praeferre debet ; qualis nimirum gradu fere quinquagesimo aut sexagesimo instrumenti Farenheitani indicetur. Aestus corde et arteriis concitandis, frigus sanguine intus a superficie impellendo nocebunt.

Alvus medicamento solicitanda ; quo sordes febrem et incitationem auctura ejiciatur, et humores circumfluentes minuantur. Initio, *submurias hydrargyri* et pulvis radicis *convolvuli jalappae* vesperi danda : deinde, postridie mane aut alvus arte ducenda, aut medicamentum e foliis *cassiae sennae* et *phosphate sodae*, aut *tartrate potassae et sodae* factum bibendum. Cavendum tamen ne vires dejectione frequentiori illata solvantur. Sitis acidulis succis plantarum et fructibus extinguenda. Summi interest membranam animae canalium humectare, et sputum movere : hunc in finem aeger bene vaporem aqua fervida et aceto oriundum inhalat : simulque paululum sumit *aceti* aut *syrupi*

scillae maritimae et *vini tartratis antimonii*, quovis liquore mulcente glutinoso mixtorum. Acriora ista sputi cientia, *balsama*, *ammoniacum*, *myrrha*, et quae sunt hujusmodi, inflammatione acuta pulmonem occupante, abjicienda sunt; nec *opium* prius ad tussim leniendam recte datur, quam inflammatio jam bene conquieverit; quippe quae secernenda omnia supprimit. Quae halitum cutis educunt, multum juvabunt; eo quod vasa pulmonis exinaniunt, et refrigerant; sputum quoque movent; siquidem ea, quae cutis vasa, ora etiam spirantia arteriarum membranae *mucosae* pulmonis incitant. Vinum igitur *tartratis antimonii*, cum *tinctura opii* ita sociatum ut utriusque guttae xxv concedantur, vesperi sumendum. Cibus parcissimus e frigibus optime convenit: potui aptissima aqua frigida. Hisce remediis ministratis, causis evitatis et corpore panno laneo velato curatio omnis continetur.

Si *vomica* sequatur, quam non grandiorem esse conjicimus, *sulphate zinci* ingesto vomitus eliciendus, quo dirupto abscessu pus extussiatur;

sputum juvabunt remedia huc idonea jam dicta. Cibus porro opimus et facilis concoctu, et medicamina, quae roborent, adjicienda.

Empyema iisdem auxiliis, quibus *vomica*, cedere solent; aliquando pus inciso pectore per ferramentum fistula cinctum educendum; quod, ni *pleurae* alicubi cohaereant, impune fieri potest.

FINIS.